

LEPTIDÆ ET EMPIDIDÆ IN INSULA FORMOSA
A CLAR. H. SAUTER COLLECTÆ.

Auctore prof. M. Bezzi.

1. *Chrysopilus Sauteri* n. sp. ♂ ♀.

Nigro-cinereus, antennis pedibusque pallide luteis, coxis atque trochanteribus nigro-cinereis tarsorumque articulis ultimis infuscatis, tuberculo ocellari elevato haud piloso, facie globosa valde prominente, palpis parce nigro-pilosis, pilis coxarum anticarum et capitis inferis pallidis, alis cinereo-hyalinis, præter maculam magnam stigmaticam fuscam immaculatis. ♂ oculis connexis, distincte bisectatis, areolis superis valde majoribus, thoracis dorso aureo tomentoso, abdomine atro basi anguste flavo-translucido. ♀ oculis late remotis non bisectatis areolis æqualibus, thoracis dorso albo-tomentoso, abdomine obscure nigricante, albo-tomentoso, fasciis atris transversis nullis, apicem versus luride fuscato.

Long. corp. mm. 6, alar. mm. 5.

Takao, 15. IV—11. V. 1907.

Ex affinibus *Chr. aurei* MEIG., a me in *Bull. Soc. Entom. Ital.*, XXVII. p. 43 (1895) enumeratis; ab omnibus tamen antennarum et abdominis colore mox distinguendus.

Occiput et facies grisea; frons feminae valde lata, cinerea, nuda, ad verticem tantum pilis nigris brevibus crebre vestita; haustellum breve, labellis extus nigricantibus. Thoracis dorsum in parte postica et scutellum pilis brevibus nigris prædita; pleuræ cineræ in parte infera omnino nudæ; scutellum aureo-vel albo-tomentosum. Halterum clava nigra, petiolus luteo-albidus; squamæ hyalinæ margine nigro, breviter fusco ciliato. Abdomen nigro-pilosum, in femina basi allopilosum; segmenti primi dimidium apicale in mare luteo-translucidum. Genitalia maris parva, forcipe laterali rotundato luteo. Pedes fere nudi, calcaribus apicalibus tibiæ luteis valde elongatis. Alæ iridiscetes, nervis nigricantibus, macula stigmatica ovali; cellula submarginalis secunda pariter ac posterior secunda longa, ista contra quam tertia distincte longior.

Nota. Ex Japonia duo tantum *Chrysopili* species adhuc innotuerunt, nempe *dives* LÖEW 1871 et *pullatus* COQUILLET 1898: a primo

species nostra differt præcipue halteribus nigris, a secundo alis non variegatis. Ex insulis Philippinis cel. OSTEN-SACKEN in *Berlin. entom. Zeitschr.*, XXVI. p. 101—102 (1882) quinque *Chrysoptili* species enumerat. quorum *correcta* O. S. alas late nigro-fasciatis præbet et *ferruginosa* WIED. coloribus luteis gaudet; reliquæ vero tres species nec descriptæ nec nominatæ cum specie mea affinitatem magnam præbere videntur. Species orientales *insularis* SCHIN., *vacillans* WALK., *stylata* WALK. et *lupina* O. S. quoque luteæ sunt; *maculipennis* WALK. et *guttipennis* WALK. alas variegatas præbent.

2. *Parahybos chætoproctus* n. sp. ♂ ♀.

Atro-holosericeus, antennis pedibusque luteis, coxis trochanteribus femorumque dimidio basali tamen nigris, halteribus nigris, alis cinereo-hyalinis, macula stigmatica nigricante ovali, nervis tertio et quarto extrinsecus parallelis. ♂ genitalibus parvis forficatis nigris, abdominis segmento ultimo lateribus setis longis 5—6 nigris utrinque penicillato. ♀ terebra brevi obtusa, lamellis apicalibus parvis lutescentibus.

Long. corp. mm. 5. alar. mm. 4.

Takao, 18—28. VI. 1907.

Oculi supra non complanati, magni, supra antennis late cohærentes subtus approximati, distincte bisectati, areolis superis majoribus rubris, inferis parvis fuscis; antennæ breves, omnino luteæ, articulo tertio ovato, seta longa capillari distincte præapicali. Haustellum rigidum longum acutum nigrum, subtus lutescens; tuberculum ocellare setis 4—5 ciliatum; occiput nigrum, glabrum. Thoracis dorsum valde elevatum, vix tomentosum, lateribus paullo nitidum, callis præscutellaribus lutescentibus, in parte postica nigro-pilosum; pleuræ nigro-nitidæ, ad suturas obscure lutescentes; scutellum semicirculare, atrum, margine postico pilis longiusculis crebre fimbriato. Squamæ fusæ. Abdomen atrum opacum, ventre tamen nigro-nitido, pilis longiusculis fuscis. Pedes validi, nitidi, pilis fuscis crebris, setis longioribus nullis; femora postica crassiuscula, subtus prorsus inermia; coxæ posticæ elongatæ, retro crebre nigro-pilosæ. Alæ normales, nervis fuscis basi lutescentibus, nervi tertii radice prope alæ basin posita.

Fœmina cum mare notis omnibus convenit, abdominis segmento ultimo tamen lateribus non setoso; terebræ lamellæ terminales exiguæ, pallide pilosæ, vix exsertæ.

Nota. Species ista in gen. *Parahybos* KERRÉSZ locata, quia femora postica subtus inermia et antennarum setam distincte præapicalem præbet; a specie unica typica longe distat statura valde majori atque

notis plurimis. Simillima contra illæ speciei est quæ nomine *Acarterus pallipes* ex India, in *Ann. Mus. nat. hung.* II. 335. (1904) descripsi; hæc quoque forsân in gen. *Parahybos* melius locanda. Apud *chaetoproctus* et *pallipes* antennarum articulus tertius oblongo-ovatus est, dum apud *iridipennis* KERT. breviter rotundatus; species omnes a gen. *Syneches* femoribus posticis elongatis, plus minusve gracilibus, subtus semper inermibus, distinguendæ sunt.

3. *Elaphropeza Formosæ* n. sp. ♀.

Luteo-rufescens, thorace et scutello rubris nitidissimis, capite abdominique medio nigris, antennis nigricantibus articulis basalibus luteis, halteribus albis, pedibus luteis tibiis quatuor anterioribus infuscatis tarsorumque omnium articulo ultimo nigro, tibiis posticis extus bisetosis apice inermibus, alis elongatis, cinereo-hyalinis immaculatis, costa longe ciliata segmento secundo tertio duplo et ultra brevior.

Long. corp. mm. $1\frac{1}{4}$ – $1\frac{1}{2}$, alar. mm. 2.

Takao, 800 met., 28–31. III. 1907.

Species ista prope *fulvithorax* WULF, ex India, militat; maximam tamen affinitatem cum *dispar* ADAMS habere videtur; a prima differt præcipue colore alarum et tarsorum, tibiisque posticis bisetosis; a secunda non nisi pedum coloratione et patria ægre distinguenda.

Oculi nigri, supra et subtus antennis connexi, margine externo distincte arcuato; haustello perpendiculari luteo, palpis latis albis; antennæ longæ, articulo tertio duobus primis conjunctim duplo longiore, longe conico, seta fusca antennis longiore terminato; setæ ocellares et verticales lutescentes. Thorax cum pleuris ruber nitidissimus, breviter in dorso pallido-pilosus, setulis lateralibus et posterioribus luteis; scutellum setis duabus apicalibus longis, decussatis, fuscioribus. Abdomen opacum, luride flavescens, segmento tertio nigro, sequentibus quoque interdum infuscatis, ventre cinereo, pilis brevibus pallidis præditum. Pedes elongati, coxis quoque luteis, tarsorum omnium articulo ultimo nigro, pallide pilosi, femoribus posticis subtus pilis longiusculis æquidistantibus ciliatis. Alæ fere ut in subgen. *Atenodrapetis* fictæ, nervis fuscis, tertio et quarto parallelis vel leviter divergentibus, nervo sexto vix distinguendo.

Nota. Genus *Elaphropeza* a *Drapetis* tantum articuli tertii antennarum forma distinguendum: ad genus *Elaphropeza* nempe species refero, apud quas antennarum articulus tertius duobus præcedentibus conjunctim duplo et ultra longior est. Species adhuc cognitæ sic distinguendæ sunt:

1. Alæ ad marginem anticum per totam longitudinem distincte infuscatæ; nervus longitudinalis sextus spurius, sedes facile distinguendus.
spuria BEZZI, Ann. Mus. Hung., II. 347. (1904). Nova Guinea.
- Alæ ad marginem anticum non, vel vix in medio, infuscatæ; nervus sextus vix distinguendus. — — — — — 2.
2. Scutellum luteum. — — — — — 3.
- Scutellum nigrum. — — — — — 6.
3. Thorax omnino luteus; metatarsi postici simplices. — — — — — 4.
- Thorax in parte postica maculis duabus rotundatis nigris ornatus; metatarsi postici subtus ad basin apophysii præditi.
metatarsata BEZZI, Ann. Mus. Hung., II. 348. (1904). Ceylon.
4. Alæ ad marginem anticum in medio paullo fuscæ; tarsi antici infuscati.
fulvithorax WULP, Term. Füzet., XX. 138. (1897). Ceylon.
- Alæ non infuscatæ; tarsi antici lutei, apice tantum nigricante. — — — 5.
5. Tibiæ omnes et femorum apices infuscata.
dispar AD., Kans. Univ. Sci. Bull., III. 157. (1905). Rhodesia, Africa australis.
- Femorum apices et tibiæ posticæ omnino lutea. — — — *Formosae* n. sp.
6. Thorax totus vel partim luteus. — — — — — 7.
- Thorax omnino niger. — — — — — 9.
7. Thorax luteus, partim niger, vel nigromaculatus. — — — — — 8.
Thorax luteus immaculatus; tibiæ posticæ apice longe calcaratæ.
calcarifera n. sp.
8. Thoracis dimidio antico luteo, postico nigro; tibiæ posticæ apice breviter calcaratæ.
bicolor BEZZI, Ann. Mus. Hung., II. 349. (1904). Australia.
- Thorax luteus, maculis duabus posticis nigris; tibiæ posticæ apice muticæ.
ephippiata FALL., Emp., 11. (1815).¹ Europa.
9. Pedes nigri.
(?) medetera MELANDER, Trans. Amer. Entom. Soc., XXVIII. 208. t. V. f. 22. (1902).² America sept.
- Pedes lutei. — — — — — 10.
10. Abdomen omnino nigrum; oculorum margo externus arcuatus.
exul O. S., Berl. Entom. Zeitschr., XXVI. 113. (1882). Ins. Philippinæ.
- Abdomen basi luteum; oculorum margo rectus.
basalis BEZZI, Ann. Mus. Hung., II. 349. (1904). Ceylon.

¹ *Tachydromia maculata* MACQ., *Mon. Empid.*, 153. (1823) inter synonymia hujus speciei locanda videtur.

² Species ista valde dubiosa videtur, tamen ex figura a cl. MELANDER allata certe ad gen. *Elaphropeza* pertinet, ut a cl. COQUILLET in *Proc. Entom. Soc. Washington*, V. 265. (1903) primum indicatum fuit. Cl. MELANDER in *Entom. News*, 1906. 372, speciem suam inter synonyma *Drapetis unipilae* LOEW locat, quod mihi immerito fictum videtur, saltem pro specimine in tab. V. f. 22 (1902) picto. — *Elaphropeza montana* MELANDER 1902, postea in 1906 ab ipso auctore ad genus *Symballophthalmus* BECK. relata fuit.

4. *Elaphropeza calcarifera* n. sp. ♂.

Rufo-lutescens, thorace nitidissimo, capite scutello metanoto abdomineque præter basin nigris, antennarum basi halteribus pedibusque luteo-albidis, tarsis tibiisque anterioribus tamen infuscatis, tibiis posticis apice subtus calcari magno longo acuto fusco armatis, alis elongatis cinereo-hyalinis immaculatis, costa breviter ciliata segmento secundo tertio æquilongo.

Long. corp. mm. 2, alar. mm. 2.

Takao, 22. III. 1907.

Oculi et caput omnino ut in præcedenti; antennarum articulus tertius niger, duobus primis conjunctim duplo longior. seta terminali nigra antennis brevior. Thoracis dorsum etiam in parte antica pilis pallidis longiusculis tectum, setis lateralibus, posterioribus et scutellaribus longis luteis. Abdomen nigrum opacum, basi anguste et ventre luride luteis, apice obtusum. Pedes albicantes, breviter pilosi, femoribus posterioribus apicem versus luteis, tarsis omnibus infuscatis posterioribus tamen basi pallidis; tibiæ posticæ extus pilo unico in medio præditæ. Alarum nervi pallidi, secundo valde elongato et arcuato, tertio et quarto extus sensim divergentibus, sexto ægre distinguendo.
